



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

Parisiis, 1644

Pelagivs Papa Cresconio Illvstri.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15221

40 PELAGII PAPÆ II. DECRETA.

quam audeat facere, siue promittere, aut quasi factus episcopus ea quæ direpta sunt non repetat, sed apud eos, a quibus direpta sunt, permanere libere patiatur: sciens, quod si tale aliquid fecit, vel fecerit, nec a nobis omnino permittitur valere ipsa promissio, & cum iudicii nostri, quod de ipso habuimus, damno, pastoralis consecrationis ordinem promereri non poterit.

PELAGIVS PAPA
CRESCONIO ILLVSTRI.

De exactionibus episcoporum.

10. q. 3. Il-
lud.
luc. p. 3. c.
136.

ILLVD te volumus modis omnibus custodire, ne qui episcoporum Siciliae de parochiis ad se pertinentibus nomine cathedratici amplius quam duos solidos præsumant accipere; neque compellere presbyteros, aut clerum parochiarum suarum supra vires suas eis conuiuia præparare.

PELAGIVS PAPA
BENEGESTO DEFENSORI.

Ante iudicem civilem clerici non accusentur.

11. q. 1. Ex-
perientia.

EXPERIENTIÆ tuæ præsentī auctoritate mandamus, vt in causis, in quibus quælibet ecclesiastici officii persona loco petitoris existit, quemquam laicum pulsatura apud suæ prouinciæ iudicem suas proponere actiones non deferat †. In iis vero negotiis, in quibus ecclesiastici officii persona pulsatur, totius submoto pulsationis obstaculo, ad episcopi, vel presbyterorum in loco, vbi quæstio vertitur, constitutorum occurrat indifferenter examen.

† Tex.
est. pro
hoc in l.
1. & l. in
crim. C.
de iur.
om. iud.
& l. si.
C. vbi
in rem
act. non
det.

ITEM SERGIO CANCELLARIO.

SI * quisquam clericus, siue inferioris, siue potioris gradus petitor existat, & contra laicam personam suas dirigat actiones; iste modis omnibus non alibi, quam apud prouinciæ iudicem negotium suum dicturus occurrat. Si quis autem laicus clericum cuiuscumque gradus duxerit esse pulsandum, ad episcoporum iudicium in eadem ciuitate vel territorio constitutorum proponat eas quas se habere

* Idem.